

160
D i s s e r t a t i o

inauguralis medica
sistens

**Morborum epidemicorum,
et contagiosorum
quorundam Diagnosin,**

et

**Prophylaxin politico medicam
quam**

Consensu et Auctoritate

**Magnifici Domini Praesidis ac Directoris
Spectabilis Domini Decani**

nec non

**Clarissimorum, ac celeberrimorum
DD. Professorum pro Doctoris Medicinae
Laurea rite obtinenda,**

In alma ac celeberrima Regia Scientiarum
Universitate Hungarica


Publicae Eruditorum disquisitioni submittitur

Joannes Chr. Hegyi

In Theses adnexas disputabitur in palatio majori
R. S. Universitatis Die Septembris 1830.

P e s t i n i

Typis Josephi Beimel, Typographiae Strigoniensis
et unius e Pestanis proprietarii.



Magnifico, ac Spectabili

Domino

Ignatio a Stahly,

Medicinae, et Chirurgiae Doctori

In Reg. Scient. Universitate Hungarica h. t.

Rectori

In eadem Universitatē celeberrima
Anatomiae elementaris, et practicae

Professori Publ. Ord.

Plurium II. Comitatum Tabulae,

Judiciariae Assessori

Viro
Eruditione, Humanitate, omnique
Genere Laudis dignissimo
In Cultus, Venerationisque perenne
Monumentum
Tenues hasce pagellas
Sincero affectu
D. D. D.

Auctor.

Generalia

De morbis epidemicis, et contagiosis.

§. 1.

Morborum plurimorum fomitem, et vehiculum, quo longe lateque diffunduntur, et a generatione ad generationem propagantur, contagia sistunt. Est vero contagium productum animale morbosum, determinatae morbi formae, quod alteri organismo animali, pro illius actione disposito, loco determinato applicatum, eundem processum morbosum, et eandem morbi formam infert.

§. 2. Neque tamen omnes morbi contagiosi per contagium generantur, nonnulli quippe per alias potentias nocentes provocati sub suo solum decursu, per processum vitalem morbosum, contagium, quo propagantur, gignunt, quod, ut in organismum vivum actionem exerat suam, requirit dispositionem, seu receptivitatem, quae est complexus conditionum suscipiendo contagio faventium. Fundantur autem hae conditiones in factoribus vitae in organisatione scilicet, et in processu vitali, quo magis a normali deflectunt ambo illi factores tramite, eo major est receptivitas. Fabricam itaque corporis teneram habentes, sensiles erga quasvis impressiones cum reactione debili, inconstante, aut inertis, tamquam totidem possident conditiones suscipiendo contagio faventes. Hinc evidens est: aetatem teneram, et senilem, sexum femininum impri-

mis periodo catameniorum, et graviditatis plurimum esse praedispositum, uti et corpus infirmum, evacuationibus, imprimis sanguinis, et succi genitalis debilitatum; nec minus disponit animus moestus, aut ira, avaritia, invidiaque conturbatus. — Organon, quo contagium suscipitur, est cutis, praecipue pars ejus epidermide tenui instructa, aut ea carens.

§. 3. Quocumque contagia orta modo, sunt vel fixa, vel volatilia. Priora ad sui actionem exerendam requirunt contactum immediatum hominis sani cum contagio; posteriora in aëre suspensa, agunt ad certam ab objecto inficiente distantiam. Efficacia contagii eo longiori permanet tempore, quo fixius est contagium, experientia namque teste constat idem celerrime destrui si aëri atmosphaerico sub debito caloris gradu fluidum exponatur. Neque solus tantum aër instructus est dote contagia destruendi, sed et acida tum vegetabilia, imprimis acetum vini, tum praecipue mineralia, inter haec nitricum, et muriaticum oxygenatum seu chlorine eximio in gradu possident activitatem in destruendo contagio.

§. 4. Dum morbus aliquis ex communi, lateque extensa causa ortus, eodem tempore plura in aliquo loco comprehendit individua, epidemicus esse dicitur, estque oppositus morbo sporadico, in individuis singulis, causis singularibus provocato. Si morbo epidemice regnanti originem dedit contagium, aut si per decursum alicujus morbi late extensi generetur contagium, tum habet nomen morbi epidemici contagiosi.

§. 5. Nomenclatura contagii vernaculi, et peregrini in eo fundatur, quod quaedam contagia nostro sub coelo, sub concursu diversarum potentiarum nocentium generentur; alia sub nullis apud nos oriuntur circumstantiis, sed tantum ex remotis Provinciis, quin non raro ex aliis orbis partibus adferuntur.

§. 6. Conditiones, quibus positis, contagia generantur, reponuntur in aëre atmosphaerico, in alimentis, et in vitae genere. — Aëris atmosphaerici conditio determinatur per temperaturam, per

motum, et per heterogenea eidem immixta, qui status atmosphaerae rursus a situ loci dependent; hujus ratio, respectu sanitatis, summa habebatur apud antiquos, ita quidem, ut teste Vitruvio, antequam locum quempiam pro habitatione elegissent, intestina animalis in terreno illo pascentis, inspexerint, quibus abnormiter constitutis, locum qua insalubrem deseruerunt. Situs regionis cujusdam definitur praecipue per quatuor puncta, totidem mundi plagas indicantia, distinguitur itaque situs australis, borealis, orientalis, occidentalisve. Diversae proprietates ventorum, quas a variis plagis venientes praeseferunt, non sistunt totidem varietates aëris atmosphaerici, hic enim tantum, qua fluidum subtile, elasticum, expansibile eadem suscipit facilitate bonas, malasque qualitates regionis, quam percurrit.

§. 7. Regio austrum versus sita, torrentibus solis radiis, ventisque calidis exposita, sanitati minus favet; prouti vero calor humidus, siccusve distinguitur, ita effectus ejusdem duplex in conspectum venit. Si calor siccus sit moderatus, eodem tunc oeconomia animalis optime regitur; multum vero nocet idem calor, si sit excessivus, nam eo sanguis, cujus magna copia versus superficiem corporis allicitur, resolvitur, subtilissimae ejus particulae volatilisantur, relicta materia cruda, terrea. Hinc est quod incolae regionis ejusmodi sint langvidi, ad majores quosvis labores perficiendos inepti, cum pulsu celeri et debili. Deficiente materia fluida in sanguine, quo ejus elasticitas quoque multum imminuitur, status hic sanguinis pro sequela habet sitim continuam appetitum cibi prostratum, alvi obstipationem, habitum corporis tenerum, morbis inflammatoriis subjectum, corpus voluptati serviens, animum superbia, zelotypia, invidia, studioque vindictae afflictum. — Sub constitutione atmosphaerae calida et humida omnes fibrae, imprimis versus superficiem corporis collocatae sunt laxae, atque marcidae, circulatio humorum langvet, particulae spissae in massa sanguinis retinentur, ideoque obstructionibus opportuna praebet occasio. Cum vero praeter imminutam elasticitatem,

vapores quoque aquei aëri immixti, spissitatem sanguinis, lentumque inde ejus circulum producant, hinc partim totalis perturbatio functionis alicujus organi effectuat, partim particulae sanguinis in vasis obstructis haerentes peculiarem subeunt corruptionem per quam generata materia in humorum suscipitur massam, provocatque febres malignas pestilentiales.

— Prouti per supra memoratos status atmosphaerae habitus corporis varie vitatur, ita non pauci ex hoc habitu corporis oriuntur morbi, et quidem in infantibus: rachitis, herniae, convulsiones, scrophulae, helminthiasis, obstructions, atrophia in feminis: abortus frequens, sterilitas, leucorrhoea, in utroque sexu: Dysenteria, febres malignae, suppurationes ichorosae, sopor, paralyses. — Praecaventur morbi in regione calida sicca: usu ciborum, et potuum resolventium aestum temperantium, amissas partes fluidas abunde resarcientium. In regione calida, et humida opus est diaeta cum stimulo moderato resolvente; neque negligendum erit corporis exercitium moderatum in aëre subfrigido, sicco, ususque balnearum frigidorum.

§. 8. Situs versus boream, respectu sanitatis, priore pluris aestimatur, cum venti frigidi sicci fibram animale[m] firment; nihilominus tamen et haec conditio atmosphaerae non pauca parit incommoda, est namque frigoris nota proprietas fibram animale[m] contrahendi, eamque rigidam reddendi, humores imprimis oleo, et pingvedine animali scatentes coagulandi, unde difficilis eorum per vasa capillaria progressus. Sub frigido itaque coelo, ob rigiditatem fibrae animalis obstructionibus vasorum, inflammationibusve favens datur occasio. Insuper aër per frigus minus redactum volumen, ad pulmones attractus, calore animali nimium expanditur, unde rexis, aut obstructio vasorum pulmonalium, vel inflammatio frequentissime observatur. Experientia medica, jam antiquissima Hippocratis constat incolas regionum frigidarum, possidere corporis constitutionem firmam, activitatem fere indefessam, appetitum bonum, digestionem celerem; eadem parro observatio docet po-

pulos regionum frigidarum dispositionem habere in morbos inflammatorios pulmonum, faucium, oculorum; sexus feminini frequens sterilitas rigiditati nimiae fibrae animalis, et frequenti catameniorum suppressioni adscribitur. — Media, quibus memorata incommoda praecaventur talia sunt, quae fibrae rigiditatem solvunt, humores spissos diluunt, quo pertinent: potus theati calidi, usus balneorum calidorum, cum ea cautela adhibendorum ne repentinum admittatur refrigerium. — Aër non solum frigidus sed praeterea humidus, multo plura, ac prior, producit incommoda, nam non tantum rigiditatem in vasis inducendo, humorum retardat circulum, sed eo quoque, quod vapores aquosi humoribus corporis elasticitatem plurimum adimant, quod praecipue in transitu sanguinis per vasa pulmonalia, evenit, unde eorum obstructio, tusses, morbi pituitosi, sunt mala sub hac aëris constitutione frequentissima. Neque localis tantum manet effectus sanguinis elasticitate destituti, namque tarda, lentaque ejus per vasa minima, imprimis abdominis, circulatio, producit digestionem malam, flatulentias, hypochondriasim, infarctus hepatis et lienis, icterum, hydropisque diversas species. Ex eo, quod fluidum nerveum minori secernatur quantitate, explicatur: pigrities stupidas, vertigo habitualis, paralyses incolarum in aëre supra memorato commorantium. — Occurritur incommodis, ex situ frigido humido originem ducentibus: diaeta cum stimulo resolvente, et exsiccante, motu corporis frequenti, frictione cutis, sudore in balneo calido.

§. 9. Respectu directionis radiorum solis, qua hi in regionem aliquam incidunt, situs ortum, occasumve solis respiciens distingvitur. Saluberrimam depraedicaverunt antiqui regionem ortum respicientem, eam tamen sub coelo tantum calido sitam. Comoda ex tali regionis cujusdam situ resultantia non sunt exigua; namque sole matutino vapores praecedenti frigida nocte generati subito dispelluntur, adeoque elasticitas atmosphaere, qua respirationi aptissima redditur, restituitur, libera perspiratio promo-

vetur, omnes excretiones substantiarum, secus in corpore cum detrimento remanentium, sollicitatur. Sed et temperatura in situ supra memorato aequabilior conservatur, cum nec ventis borealibus asperis nec australibus calidis, regio in hoc situ tam liberum praebeat aditum. Hippocrates (Lib. de aëre, aq. et loc.) adnotat: Incolas harum regionum valere constitutione corporis bona, animo vivido, ingenio perspicaci; eosdem morbis paucis, iisque faciliè sanandis, esse subjectos. Plinius (Hist. Nat. Lib. XVIII. cap. 6.) praecipit: Aedes spectare in aestuosis locis septentrionem debet, meridiem in frigidis, in temperatis exortum aequinoctialem.

§. 10. Quemadmodum situs regionis cujusdam ortum solis respiciens pro saluberrimo depraedicatur: ita regio occasum versus locata contrarias habere proprietates asseritur, in hoc namque situ radii solares tardissime collustrant habitationes hominum, ideo frigus, vaporesque frigidi praecedentis noctis tardissime dissipantur, qui frigore juncti fibrae rigiditatem, humorum spissitatem, pororum obstructionem, hacque ratione perspirationem cutis impeditam prosequela habent. Energia vasorum, atque elasticitate imminuta, circulus humorum, imprimis sanguinis per cor, et pulmones tardus efficitur, unde assimilatio imperfecta, obstructionesve vasorum frequentes producuntur, quibus integra non raro organa in suis peragendis functionibus impediuntur. — Status morborum ex hac aëris constitutione procedentes sunt: stupor sensuum, stupiditas, pallor faciei, appetitus prostratus, constitutio corporis cachectica, scrophulosa, febres intermittentes, imprimis quartanae, febres lentae, icterus, species hydropis diversae, alvi obstipatio, tabes. Praeter hos contrahuntur adhuc morbi, qui a repentinae temperaturae mutatione dependent, namque radii solis, ad regionem, situm supra memoratum habentem, in meridie tantum pertingentes, aërem repente calefaciunt, praesentibus itaque adhuc in atmosphæra vaporibus aqueis eadem omnes producere valet status morbosos, qui ab aëre calido, et humido dependent, tales sunt: febres ma-

lignae, pestilenciales, dysenteria, etc. — Remedia hos status morbosos impediencia consistunt: in cibis et potulentis cum stimulo resolventibus, cutis sit continuo in transpiratione moderata, convenit et motus corporis continuus moderatus, nec non usus balnearum frigidorum.

§. 11. Non sufficit tamen locum quempiam in abstracto examinasse juxta directiones superius expositas, magnum namque influxum habet in salubritatem loci cujusdam status naturalis regionis vicinae propter id quoque in considerationem sumendum, num adjacens regio alluatur mari, aut num sinu suo foveat lacum majorem, horum namque vapores ventis in vicinam delati regionem, hujus similiter impregnare valent atmosphaeram, itaque regio una, incommoda alterius facillime participat.

§. 12. Puritas, atque temperatura, nec non pressio atmosphaerae multum dependet ab elevatione loci supra libellam maris. Nemo negabit aërem in collibus sicciorem, puriorem, salubriorem, ac proin eo praestantiorem esse, qui locis incumbit depressis; in iis namque motus aëris est frequentior, quo noxii dissipantur vapores, item aquae celerius decurrentes limpidiore sunt, quae in vallibus stagnantes, computrescunt, miasmaque producunt pestilentialia. Insalubris est tamen aër summitati altorum montium incumbens, cum is ob raritatem, atque ex hac proveniente levitatem, minoremque elasticitatem minus valeat ad pulmones exstimulandos, adque tonum in vasis debitum conservandum, unde circulus sanguinis lentus, hinc dispnoea, emphraxis, aut rexis vasorum pulmonalium, haemorrhagia pulmonalis, peripneumonia, frequentem constituunt morbum. — Quemadmodum aër in summitate montium, ob suam levitatem vitae animali ineptus est; ita aër in profundis vallibus, ob densitatem, largamque substantiarum heterogenearum immixtionem, insalubris efficitur. Jam Seneca (Nat. Quaest. lib. IV. cap. 10.) dicit: omnis aër quo propior est terris, hoc crassior; quemadmodum in aqua, et omni humore faex ima est; ita in aëre spississima quaeque desidunt. Effectum aëris

densi (minus tamen, ac ejus levitatem, noxium) maxime persentiunt homines habitu phthisico praediti, namque ob congestionem, quae aëre denso efficitur, sanguinis majorem, vasa eorum pulmonalia facillime lacerantur. Similis quoque fit congestio in partibus, quibus vasa minorem opponunt resistantiam, imprimis in vasis cerebralibus unde frequens horum varicosa, atque aneurysmatica expansio, aut dislacratio, unde sopor, paralyses, atque apoplexia frequenter observantur. Omnes praeterea in vallibus indigeni sunt illi morbi, qui per aërem humidum producantur. — Multo insalubrior est habitatio in vallibus undique clausis, in quibus nempe, praeter id, quod aëventorum beneficio vix unquam renovari possit, et illud incommodi habetur, quod radii solares, tamquam in foco quopiam collecti aestum producant torrentem. Situm talem concavum habuisse veterem Romanam, Titus Livius (Hist. Roman.) talemque habere Aegyptum, Purchas (Pilgrimage, Lib. IV. cap. 17.) asserit, obque hunc situm, morbos in his regionibus malignos, pestilenciales, plurimum dominari contendit. Pyramidum Aegyptiacarum, atque obeliscorum, praeter alium, et is videtur fuisse usus, ut tempore, quo post exundationem Nili aër substantiis animalibus, atque vegetabilibus putridis maxime scatebat, homines pro aëre puro hauriendo se eodem recipere valeant.

§. 13. Ex varia, relate ad situm loci constitutione aëris, varioque, quo diversa ejus temperatura, diverso se excipit anni tempore, modo, epidemias futuras, earumque decursum, divino prope vaticinari licebit spiritu. Si hyemem frigidam humidamve repentinus excipiat calor vernalis; aut si hyemi parum frigidae superveniant dies vernaes siccae, Borea aspero perflatae, tunc imprimis regnabunt epidemiae: Scarlatinae; febrium continuarum, inflammationum topicarum, imprimis faucium, apud infantes: tussis convulsivae, anginae membranaceae. — Aestate, et Autumno repentina caloris cum frigore permutatio, quae imprimis post imbres, tempestatesve fieri solet, item aestatis calidae, atque siccae cum autumno

frigido, provocat praecipue epidemias morborum exanthematicorum, febrium continuarum, intermittentium, dysenteriae, arthritidis. — Si praecedenti aestati calidae, atque aridae superveniat autumnus frigidus, humidusve, aut si dies autumnales calidos excipiant noctes frigidae, humidae, nebulosae, tunc praeter dysenteriam epidemicae sunt: Febres biliosae exanthematicae, atque febres putridae. Aestus humidus in gradu majori, producit epidemias periculosissimas, contagiosas, pestilentiales. — Epidemiae contagiosae periculosissimae: febrium exanthematicarum, putridarum, atque biliosarum excurrunt per annum integrum, et ultra, si autumnus, hyems, et ver calida, atque humida sint, eodemque tempore nebulae densae, foetentes superficiei telluris incumbant. Generatim paucissimi observantur morbi, si in autumno sensim decrescat aestus, vere aestus, eodem increscat passu.

§. 14. In praesagio epidemiarum ipsius quoque motus aëris, seu ventorum habenda est ratio; hoc respectu si in regione quapiam diu nullus locum habeat ventus, sique sub hoc pacato atmosphaerae statu pluviae decidant copiosae, aut frequentes eam Provinciam infestent exundationes, e quibus in agris, et pratis paludes remaneant copiosae, tunc ex putredine corporum organicorum in iis contentorum atmosphaera miasmate repletur pestilentiali, unde epidemiae pertinacissimarum febrium intermittentium, continuarum, et putridarum frequentissimae observantur. Simili patitur modo regio undique montibus, sylvisque clausa. — Epidemiam quandam vaticinari volentes non solum praesentis, sed et praecedentis status atmosphaerae rationem habere debemus, uti et omnium eorum momentorum, quae de situ loci dicta sunt.

§. 15. Praeter aërem atmosphaericum, alimenta, utpote e quibus ea, quae in Oeconomia animali usu deperdita sunt, resarciuntur, possunt ut potentia nocens agere, atque faventibus sub circumstantiis epidemias provocare, aut eas pertinaces, vel periculosas reddere. Homo cibum capit ex utroque

organico naturae regno, quorum producta cruda, vel praeparata in suum convertit usum. Noxia evadunt alimenta quantitate, vel qualitate peccantia, priori respectu excessu, vel defectu, posteriori, quatenus digestionem plus vel minus resistunt, aut corrupta, vel semicorrupta in usum trahuntur. Nocet imprimis farina e frugibus immaturis, semicorruptis, secali cornuto, aut lolio temulento mixtis confecta, legumina semiputrida, foetida, fructus immaturi, putridi. Caro animalium imprimis e lue cornutorum exstinctorum. Exitialis est aqua stagnans, impura, coenosa. Efficacem constituunt potentiam nocentem calamitates publicae, uti: fames, terror, ob imminens periculum tempore belli, aut occasione comparitionis terribilium naturae phaenomenorum, uti: tempestatis, terrae-motus. Multum insidiantur sanitati effluvia cadaverum insepulorum post pugnam cruentam, aut post luem animalium. — Si omnium enumeratorum momentorum justam habuerimus rationem, de futura epidemia praesagium probabile proferemus.

§. 16. Si cognitae hae epidemiarum causae amoveri possint, tunc utique genesis epidemiarum impeditur. Hoc scopo ad aërem purum, siccumve reddendum paludes exsiccandae, lacus derivandi, sylvae lustrandae, cadavera sepelienda, atque tempore magnae mortalitatis calce viva tegenda. Necessitatibus publicis, aptis politicis coordinationibus subveniendum erit. Evenit tamen frequenter ut causae epidemiarum, cum non in nostra collocatae sint potestate, amoveri non possint; earum tunc noxius effectus convenienti infringendus erit regimine diaetico. Durante quippe frigore sicco praecaventur morbi adhibita attentione ne corpus aestuans, atque in sudore constitutum vicissitudini temperaturae exponatur, calor cubilis sit moderatus, usus ciborum multo aromate conditorum, potuumque spirituosorum excessivus vitetur. Convenit autem victus vegetabilis, parco animali temperatus, potulenta tepida, theata, motus corporis moderatus. Statu atmosphaerae frigido, humidoque existente, aër cubilium suffitu e resinis aromaticis, impregnetur, pa-

rietes madentes igne carbonum exsiccentur. Victus sit nutriens, aromaticus, potus calefaciens, spirituosus, moderate tamen haustus, vestitus calidus, quo perspiratio cutis moderata continuo sustineatur. — Aestate calida, et sicca quothidie mane, et vesperi aër recens in cubilia immittendus. Refrigerium, aut incalescentia corporis nimia, usus ciborum aromaticorum, potuum spirituosorum, motus excessivus, victus animalis, plurimum nocent. Prodest victus vegetabilis acidulus, potus acidiusculi, balneum frigidum. Effectus noxii caloris humidi imprimis eliduntur renovatione aëris in cubilibus frequenter suscepta, evitatione refrigerii sudante corpore, usu carniū parco, item eo, si os frequenter eluatur aceto aqua mixto, si tabaci moderatus fiat usus, balneaque tepida convenienti cum cautela adhibeantur.

§. 17. Omnibus, quae scopo praecavendi morbos proposita sunt ad amussim observatis, accedentē indefessa Medicorum opera, quorum quilibet in urbibus plurium forte familiarum sibi habet creditam salutem, epidemiae vix unquam erumpent, aut erumpentes haud erunt perniciosae. Alter tamen adhuc adest modus, quo epidemiae late diffusae evolvuntur, contagia quippe jam aliunde ad nos adlata, jam domi generata fomitem morbi latissime disseminant. — Determinare; num morbus quispiam in plura extensus individua, contagiosus sit, nec ne, non est ita facillie, ac primo forte apparet obtuta; nonnisi diligens observatio, circumstantiarumque cunctarum expansio nodum solvent Gordium. Suspitio quippe oritur de morbo contagioso, quotiescunque refertur, in domo, qua morbus primo comparuit, commemoratus fuisse advena, forte a contagio suspectae regionis incola, si plures ejusdem familiae personae cum iisdem morborum symptomatibus decumbant, si in alia domo remota cum iisdem symptomatibus compareat morbus, postquam ex eadem quispiam cum personis infirmis in conversatione constitutus fuisset.

C o n t a g i a p e r e g r i n a .

§. 18.

Pestis orientalis. (Dög halál, pestis.
Die Pest.)

Contagium pestis antiquissimae est originis, namque scriptores antiqui, imprimis historici, frequentem ejus faciunt mentionem, latiori tamen apud hos sumitur sensu, utpote qui omnem morbum celeriter necantem, pestem compellarunt. Hodie pestis symptomatibus suis characteristicis notata in cultis Europae Provinciis non oritur, sed ex Turcia, ubi perennat, adfertur. Quidam Constantinopolim, alii Aegyptum, pestis assignant natales. In nostras inducitur Provincias per Advenas ex Turcia, propagatur per contactum infecti cum sanis immediatum, est namque contagium fixum, quod inhaeret omnibus se- et excretis individui pesti laborantis, imprimis puri bubonum pestilentialium. Adhaeret idem contagium corporibus non nullis levius, imprimis illis, quae texturam densam, superficiemque politam habent, uti sunt: metalla, fruges; semina omnis generis, folia, radices, gumi, oleum, liquores spirituosi, Saccharum. Alia corpora contagium pestis facillime suscipiunt, diutissime conservant, atque ab eodem difficillime depurantur, talia sunt: Linum, canabis, corium, lana, sericum, charta. Contagium pestis communicatum, producit febrim typhosam, cujus characteristicae symptomata consistunt in: vesiculis, antracibus, carbunculis, et bubonibus pestilentialibus.

§. 19. Vesiculae sunt elevationes epidermidis coloris nigri, sine limbo, ichorem flavo nigricantem continentes, citissime gangrenescentes. — Antraces sunt plagae profunde rubrae, vel caeruleae in medio vesiculas nigras habentes. — Bubones sunt tumores glandularum in toto corpore obvenientium, cumprimis illarum, quae locantur sub axillis,

ad inguina, pone aures, in collo. Bubones hi pestilentiales cito inflammantur, atque in gangrenam abeunt. — Carbunculi sunt plagae in corpore elevatae sine vesicula, profunde rubrae, aut caeruleae. Saepe morbus pestilentialis adeo celeriter necat, ut dicta symptomata pro sua evolutione requisito tempore destituantur, adeoque tunc homo apparenter sanus, corrui, et expirat.

§. 20. Suspiciamur exortam fuisse pestem orientalem: quotiescunque plura ejusdem domus, familiae, cognationis, vel in vicinia habitantia individua, eodem tempore iisdem corripuntur symptomatibus febrilibus, atque intra 2 aut 5 dies febris illa morte terminatur; suspitio illa de peste probabilior fit si constet illam jam in vicina provincia grassari. Justam de peste movent suspicionem petechiae intra 3, vel 4 dies lethales, tum si a prima, usque tertiam febris diem compareant bubones infra axillas, ad inguina, aut in collo, die 3, vel 4 carbunculi, item si febrile se associant pustulae gangrenescentes, summa debilitas, et jam ante diem septimum mors.

§. 21. Pestis orientalis, cum suis symptomatibus characteristicis evoluta morbum sistit periculosissimum multa hominum millia exstinguentem; cura omnis itaque eo est dirigenda: ne morbus evolvatur, aut transferatur, item ut contagium pestis destruat, tandem ut vis ejus corpus sanum inficiendi, inefficax reddatur.

§. 22. Morbus pestilentialis nostro sub coelo, et in nulla Europae culta evolvitur provincia, sed teste Purchas, et recentissime cel. Parisette, natales in Aegypto habet sedes. Causam ejus evolutionis reponit Auctor memoratus in neglecta inbalsamisatione, namque tum temporis, dum scientiae, artesque in Aegypto florissent, pestis in eadem non exstitit. Neque enim Aegyptii antiqui ex sola tantum in mortuos veneratione perfecerunt inbalsamisationem, sed maxime sanitatis causa, sylva enim carentes, cadavera flammis consumenda tradere non poterant, eadem sepulta per Nilum exundantem in superficiem terrae levantur, putrescunt ex qua putredine, acce-

dente solis calore intenso, miasma, morbum pestilentialem provocans exoritur. Svdadet itaque Parissette ad morbi hujus periculosi genesim impediendam cadavera condire, non quidem aromatibus pretiosis ad luxum pertinentibus, sed praecipit ut cadaver singulum imponatur solutioni natri, in Aegypto magna quantitate occurrentis; per macerationem cadaveris in hac solutione, partes corruptibiles mutantur in massam adipoceream, qua in aqua soluta, partes incorruptibiles exsiccatae remanent. Si consilium hoc Viri eruditissimi effectu coronaretur, probabile foret tunc pestem in primis suis incunabilis exstingvi posse; cum tamen id hoc tempore nondum fiat, idcirco pestis in Turcia perpetua est.

§. 23. Ne contagium pestis ad cultas Europae Provincias deferatur, Principes regnantes cum Turcis collimitanei introducere in limitibus suarum Provinciarum contumacias. Quamvis vero coordinationes contumaciales optimae sint, contingit attamen nonnunquam, ut pestis contagium ad locum aliquem deferatur, si itaque Medicus in loco tali adsit, pestemque incipientem videat, aut saltem justam de ea suspicionem habeat, munus illius erit, id sine mora Magistratui civili annunciare, qui dispositiones faciat ad ulteriorem morbi progressum impediendum necessarias.

§. 24. Coordinationes politico medicae in loco, peste afflicto ad haec fere redeunt: Si morbus ad unam tantum, alteramve restrictus sit domum, tunc illa claudenda, omneque ejus incolarum, cum caeteris commercium interdicendum erit. Si pestis jam per plures domos urbis amplae propagatus esset, illa tota pars urbis a reliqua separanda; ubi vero in pluribus, et diversis urbis cujusdam partibus, vel in pluribus pagis lues pestifera propagata observatur, tunc urbs, vel districtus integer de contagio pestis suspectus, fossis, atque vigiliis numero sufficiente collocatis (cordon) cingendus est. Vigiliae, diu noctuque necessariae sibi ita prope stent, ut et sermonem mutuum intelligere, et sibi mutuo suppetias celeriter ferre possint. In ipso loco cincto, et a sanis

separato debet cura publica adhiberi ut omnia praesto sint, quae ad sanitatem conservandam aut restituendam, quaeque ad propagationem morbi impediendam requiruntur. Administrantur itaque illis cuncta vitae media; informantur de morbi periculosa indole contagiosa, adeoque monendi sunt, ut sani contactum morbo laborantium vitent, interdican- tur itaque omnes conventus majores in Templis, Theatris et Scholis. Causae omnes pro contagii susceptione praedisponentes, quo imprimis pertinent excessus in esu, et potu spirituosorum; animi affectus deprimentes, mundities neglecta, studiose vitentur.

§. 25. In loco cincto peculiaris attentio dirigenda in aegros peste infectos, atque in eos, qui cum aegro in frequentem veniunt contactum, tales sunt: Agnati, cohabitantes, parabolani, Medici, atque Sacrorum Minister. Omnes hi, et eorum res contumaciae subjiciantur. Ad susceptionem contagii evitandam, vespillones cadaver non manu, sed uncis ferreis comprehendant. Ministri Religionis ne contingant aegros, ne halitum eorum venenatum inspirent, ideo a confessione auriculari hoc in casu dispensantur, consolentur paucis tantum remediis religiosi aegros, ipsam hostiam; non aliter, quam cochleari longo ferreo exhibeant. Vestitus eorum sit levis, antequam cubile, in quo aegri ex peste decumbunt, ingrediantur, os, manus, et faciem lavabunt aqua, aceto mixta, aut easdem partes inungent oleo, aut sebo, derelicta domo infecta vestes mutabunt, itidemque se lavabunt. Ipsi aegri in circumstantiis felicibus positi quorum cura domi suae suscipitur, cubile habeant amplum, tenui suppellectili instructum, atque ita collocatum, ut in eodem renovatio aëris facillime suscipi possit. Reliqui omnes, tenui fortuna donati Suscipiuntur ad Nosocomium pestilentiale, in campo spatioso exstructum.

§. 26. Pro contagio pestis destruendo inde ab antiquis diversa proposita sunt media. Hippocrates commendavit, ut ignis ex acervo lignorum in plateis extruatur, quod tamen remedium eo tantum profuisse videtur, quod motum aëris procuraverit, con-

tagium vero, imprimis in loco, quo flamma non per-
tigit, non destruxit. Summis efferunt alii laudibus
vim antipestilentialem tabaci, aliorumque naribus
gratorum aromatum, quorum tamen efficacia haud
sufficenter existit probata. — Docentibus observa-
tionibus recentioribus destruitur contagium pestis:
1. Per aërem atmosphaericum purum ideoque in
rebus a contagio suspectis suscipitur ventillatio. 2.
Per aquam, ideo quaecumque res lavari possunt, ab-
luuntur. 3. Per acida, uti: per acetum vini, im-
primis per vapores acidorum mineralium, efficacissime
per vapores acidi oxymuriatici. 4. Fumo sulfuris ac-
censi, ita epistolae ex Turcia adlatae, perforatae
fumigantur.

§. 27. Quod prophylaxin pestis medicam concer-
nit, varia a Medicis omnis aevi proposita sunt reme-
dia, quae susceptionem pestis impediunt. Consistunt
illa: in vitae ratione tempore pestis, tum in reme-
diis externis, et internis. — Respectu vitae ratio-
nis, Rivinus ait: Omnibus modis conservandae sunt
vires, ac roborandi spiritus per lautiores cibos, po-
tumque svavem, vini praesertim, cujus modice sum-
pti virtutes satis conspicuae sunt. Imprimis exhila-
randus est animus. Quandiu amoenitas hortorum,
atque ruris floret, inhabitanda, aut saltem visitanda
sunt saepius; nec unquam negligi debet conversatio
amica, ac svave colloquium. Quemadmodum enim
tristes omnia timent: ita nemo feliciter terrorem elu-
dit, quam qui hilarem alit mentem, et quamquam
ex improvise terreatur, minus nocebit, alacrior sci-
licet spirituum motus ideam terrificam minus admit-
tit, et si recepta fuerit, facile iterum eandem de-
let. — Expertissimus pestis observator Purmannus
profitetur: Animum laetum, stabilem, et firmum
optimum prophylacticum, peneque medicinam esse;
luem terrore, et timore viribus firmari. Kundman-
nus refert in peste Rosebergensi scyphum vini hun-
garici, imprimis meticulosis, praestantissimum tu-
tamentum fuisse. Nocet intemperantia, et ebrietas,
unde illi, quibus illa quothidiana comessandi con-
svetudo familiaris est, plerumque in hoc malum pro-

cliviores ; nec minus proclive est ad suscipiendum contagium corpus in sudore constitutum ; ideo medicamenta sudorifera, balnea tepida a nonnullis commendata, docente plurimorum observatione, noxia sunt. Individua, quorum munus exigit ut mediis in flammis versentur, uti : Fabri ferrarii, coqui, vix non semper prima fiunt pestis victima. — Denique qua efficax antidotum diaeteticum svadent observatores exspuitionem salivae tamdiu semper, donec quis se putat in aëre infecto versari. Praeservativum hoc non deglutiendi salivam optimum esse, praecipue iis qui cum pestiferis ad agendum habent, quales sunt : Medici, Chirurghi, Confessarii, testantur complures Auctores. Cum tamen contagium non solum per os, et nares, sed et per cutim universam suscipi possit, patet quam multum efficaciae huic praeservativo tribuendum sit.

§. 28. Qua remedia prophylactica externe applicanda, a quibusdam Medicis commendantur, ab aliis vero impugnantur : Fumus ex tabaco accenso, per fistulam haustus, odor gravis, foetens, imprimis odor hircinus, infricatum corpori oleum olivarum, ulcera artificialia, et cauterisationes. — Fumus tabaci juxta observationem plurimorum insigniter profuit, qui enim adferuntur casus eorum, qui usum tabaci fecerunt, et tamen extincti sunt, illi saltem probant remedium hocce praeservativum non esse cuivis individuo accommodum ac proia non esse universale. Duo potissimum attulit commoda in constitutione pestilentiali. 1. Quod illi, qui tabacum sumpserunt, ob adhaerentem continuo ejus odorem, vix alios noxios percipere possint foetores, quibus alioquin homines nimis terrentur. 2. Quod odor, cum qualitate tabaci ori inhaerens aërem inspiratum in transitu suo ita corrigat, ut viscera interiora idem aër nulla noxa afficere queat. Haec confirmat experientia in diversis pestis epidemiis facta, imprimis in Moldavia, et Moscuae, ubi ditiores incolae, qui soli fere utuntur tabaco, a peste plerique immunes mansere, ubi ea in plebem, hoc prophylactico non utentem crudelissime desaevit. — Neque solum ta-

bacum, sed quaeque alia aromata penetrantia, imo ipsa effluvia latrinarum odora, imprimis odor hircinus vim praeservativam contra pestem habere asseruntur. Probabile est odores hos odori, et cum eo juncto contagio pestis, se opponere, locoque non cedere; ideoque dum adhuc frequens esset in Hungaria pestis, non rarum erat videre hircum in aedibus, quin ipsis adeo in coenaculis Magnatum, eo ex motivo, quod in Oriente lepra affecti, odorem hircinum spirantes, a peste continuo immunes maneant. — Multum praedicatur virtus prophylactica vaporum acidorum mineralium, imprimis acidi nitrici, et muriatici oxygenati, ad cujus virtutem explorandam Medicus Waly ipse profectus est Constantinopolim, et Smirnam, ubi pestis continuo adest, atque corpus suum totum abluebat chlorina, et inungebat unguento chlorinae juncto, inungebat et indusium, ita munitus in nosocomio pestilentiali versabatur, contingebat aegros, non obstante audacia in pestem incidit, ex qua nonnisi difficulter emersit. Contrarium huic docent observationes recentissimae celeberrimi Parisette. — Inter omnia prophylactica pestis maximam efficaciam ostendit oleum. Anglus Consul Baldwin observavit illos, qui oleum vendunt, et corpus quasi eodem inunctum habent, in Cairo a Peste immunes mansisse, ideo provocavit Medicos ad observationes de eo faciendas, quae exacte institutae comprobant virtutem olei praeservativam insignem. Idem testantur Medici qui 1812 pestem Odessae observarunt, ita virtus olei comprobata fuit 1815 in peste insulae Malta. Adhibetur oleum hoc modo: quantitas nempe ejus unciarum sex inungitur vesperi cuti universae, dein decumbendum est in lectum moderate calidum, corpus obtegendum, ut in sudorem veniat. Haec inunctio instituitur per septimanam ter, et omni septimana adhibetur semel balneum tepidum. — Ulcera, et fonguli, nec non cauterisatio, a multis aevi recentis, et antiqui Medicis tamquam efficax pestis prophylacticum depraedicantur, eoque prodesse asseruntur, quod contagium susceptum ad ea, tamquam ad fontem derivetur hincque cum pure excernatur.

§. 29. Qua prophylactica interna, svadentur: allium parva quantitate, instar medicamenti sumptum. Purmanus refert: Vespillones in peste Halberstadtensi frequenter allium comedisso, et salvos mansisse. Commendantur porro, tamquam praeservativa haud spernenda, omnia acida, acetum vini vulgare, uno cochleari ordinario, poculo aquae remixtum, frequentius per diem sumendum. Efficacia major tribuitur aceto aromatico, quamvis in peste Marsiliensi, et Toulonensi complures, qui hoc aceto utebantur, eoque corpus, et vestes abluebant, peste correpti, ex eaque extincti fuerint. Magis proficius esse censeatur spiritus nitri dulcis, a guttis 20 ad 30 in aqua frigida aliquoties per diem sumendus. Sed et Camphorae inter remedia pestis prophylactica mentio faciendâ est. Norimbergae quidam capite luere promisit, ni camphora interne adhibita unumquemque a peste praeservaret. Gohlius refert: Heinsio ob camphorae commendatum usum, salutarem contra pestem Veronae statuam, hujus rei memoriam servantem, constitutam fuisse.

§. 39.

Variolae humanae

(Himlö- Die Pocken.)

Erant antiquis Graecis, et Romanis ignotae. Juxta opinionem nonnullorum Scriptorum ex Aethiopia, juxta alios ex Aegypto propagatae sunt primum in Arabes, mox per hos in alios quoque populos. Primam earum mentionem facit Aron A. 622. P. C. N. Inter Sec. VII et XII per Saracenos in Europam adlatae, magnas fecere devastationes, perennantque apud nos ab illo tempore; regnant saepe epidemice, namque contagium, sub earum decursu generatum, volatile, favet earundem propagationi. Constituunt autem variolae humanae morbum exanthematicum febrilem, cujus decursus spatio 12 aut 14 dierum absolvitur, quatuorve emetitur stadia. Stadium 1. Febrile, comparet cum dolore subaxillari, et arti-

culorum, cum urinae, et perspirabilis, imprimis infra axillas, odore peculiari acido, his praegressis die 4-a sequitur *Stadium* 2. Eruptionis, cum dolore faucium, et oculorum, molesta alvi, urinaeque evacuatione, erumpunt dein variolae singillatim, non eodem, in universo corpore, tempore, plurimum prima vice in facie, et in extremitatibus superioribus, post 24 horas et in extremitatibus inferioribus, suntque illae rotundae, parvae, laete rubrae maculae, aut plagae, in medio sui, coloris laetioris punctum depressum, seu umbilicum habentes; ad tactum sentitur tuberculum durum, instar seminis milii. Post aliquot horas limbus hujus tuberculi fit laete ruber, ipsumque tuberculum elevatur, fit coloris dilutioris, in apice albescit, lymphaque repletur. Eruptio haec 3 aut 4 dies durat, qua cessante et febris cessat, sequiturque *Stadium* 3. suppurationis. Intra diem 6 et 8 morbi disparet umbilicus in tuberculis inflammatis, ipsa tubercula elevantur, acuantur, fiunt albiora, et replentur sensim pure, initio tenui albido, serius flavo spisso. Pustulae hae flavescentes vel locantur singillatim: variolae discretae, in earum circumferentia cutis est praeurbra, tensa, variolae hae sunt rotundae, a magnitudine capituli spintris, usque eam pisi majoris, adsunt nonnunquam valde paucae; saepius vero confluent: variolae corymbosae; saepe adest sub decursu variolarum ptyalismus, constanter autem febris variolarum secundaria. Variola bona est rotunda, elastica, plena, acuto ovalis, cum circumferentia fundi elevata. *Stadium* 4. Exsiccationis. Die scilicet circiter 10 variolae fiunt coloris profundioris, eodem, quo comparuere, exsiccantur ordine, fundunt prius liquorem spissum, meli similem, crusta, quae tardae decidit, relinquit semper rubras, aut caeruleas, aliquot saepe mensibus permanentes plagas.

§. 31. Dispositionem pro suscipiendo variolarum contagio omnis habet homo, ideoque quilibet eodem affligi posset malo. Semel perpeasae variolae, delent, dispositionem, rarissime corripunt unum idemque

individuum binis, ternisve vicibus. Contagium vario-
 losum apud nos, tantum propagatur, non autem ge-
 neratur, ideoque si possibilis foret sublatio commu-
 nicationis inter gentes, tunc variolae a nobis perpetuo
 exularent, cum vero id utique fieri non possit,
 hinc eo tantum dirigenda erit omnis cura, ut si quis-
 piam morbo corripiatur varioloso, is a communione
 caeterorum excludatur. — Anglus Chirurgus Mait-
 land ad dispositionem pro contagio varioloso delen-
 dam Anno 1720 proposuit inoculationem variolarum
 humanorum, exemplum plurimum secuturus Asiae po-
 pulorum, per hanc inoculationem decursus quidem
 morbi mitior redditus est, mortalitasque imminuta,
 nihilominus tamen epidemiae variolosae non erant
 raras, quinimo faventibus sub circumstantiis, evasere
 perniciosae. — Immortalis memoriae Dr. Edwardus
 Jenner, postquam observatione didicisset, homines,
 qui vaccas mulgendo, earundem variolas contraxe-
 runt, a variolis humanis immunes mansisse, ideo
 inoculationem variolae vaccinae ipsemet repetitum
 instituit, effectu optimo, quare Anno 1798 eam pro-
 mulgavit, qua contra contagii variolarum susceptio-
 nem praeservativum efficacissimum. Factae observa-
 tiones efficaciam vaccinae quothidie comprobant, ni-
 hil itaque amplius superest ad extirpandum variola-
 rum contagium, veram tenerae aetatis, imo non raro
 et aduorum pestem, quam ut inoculatio vaccinae
 universalis evadat, quapropter munus hoc talibus
 committatur, qui et scientia, et zelo ardentissimo
 in commodum suorum concivium laborare adnitentur.

Contagia vernacula.

§. 32.

Typhus putridus

(Ragadós Hagymáz. Das Fleckenseber, die Kriegspest.)

Vocatus etiam febris Hungarica, Pannonica, nam
 jam Anno 1516 in exercitu Imperatoris Maximiliani

II. ad Comaromium attentius observata est. Dein Castrensis, Navalis, Carcerum, Nosocomialis audiit. Hippocrates eum typhum nuncupavit. Noster typhus ob eminentem characteristicum symptoma (hebetudinem quippe et Stupiditatem) Typhus, et ab effectu contagiosus nominari meretur. — Symptomata ejus jam evoluti, praecipua haec sunt: Post praegressam horripilationem, et frigus, calor compareret universalis, intensus, vesperi augendus, cutis evadit sicca, tensa, rubicunda, imprimis in facie, corpus grave, aeger praediligit situm dorsalem, quaeritur de temulentia capitis, deliria, initio, sub exacerbatione solum vespertina observantur. Lingva conspicitur pura, sitis adest intensa, appetitus cibi nullus, urina parca, coloris flammae, limpida. Frequens praeterea observatur tussis, sternutatio, obstructio narium, deglutitio dolorifica, vox rauca, dolor premens in scrobiculo cordis, non raro compareret vomitus, qua ingesta non digesta, imprimis vero copiosa ejicitur bilis. His praegressis, compareret exanthema, qua symptoma hujus morbi characteristicum, purpura nempe typhosa, primo tantum in collo, mox in universo observatur corpore. Consistit hoc exanthema in maculis parvis laete rubris, irregularis figurae, cum margine quasi lacero. Maculae hae raro excedunt magnitudinem lentis minoris, subinde conflunt, saepius segregatae manent, et cutim marmoris instar variegatam reddunt, nec dolent, neque calent, nec pruriunt, ad pressionem disparent, ea cessante revertuntur. — Comparente hoc exanthemate, morbus evadit mitior, adeo, ut aeger se jam morbum gravem superasse gratuletur, dum repente, die ab eruptione exanthematis 2-a vel 3-a symptomata intensiora comparent, caput evadit gravius, peculiaris in somnum observatur propensio, qui tamen, etiamsi aegrum opprimat, profundus tamen non est; sensus externi omnes redduntur obtusiores, ipsa sui conscientia plurimum imminuitur; nullam aeger accusat sitim, licet lingva sit aridissima, porrectum tamen avidè haurit potum; alvum vel retinet, vel eum inscius in lectum deponit. Fere in omnibus, e typho putrido decum-

bentibus delirium adest jam pacatum, jam furiosum, aut desperatum, — Inter purpuram typhosam comparent petechiae copiosae, puncturis pulicum similes, defectu tamen vestigii punctionis, ab iis distinguuntur, a purpura autem typhosa eo, quod ad pressionem non dispareant. — Sub decursu hujus morbi os est impurum, lingua, et dentes muco spisso, bruneo illiniuntur, nares fuligine obducuntur, atque his symptomatibus stipatus morbus ad acmē delatus subito facta mutatione dinamica, in sanitatem, vel morbum alium, aut tristissimam mortem exitus ejus determinatur.

§. 33. Typhus nunc descriptus, semper protopathon gignitur, ubi numerosi homines in arctiori receptaculo diutius commorari coguntur, intensitate tamen dispari: pro ratione temporis, numeri hominum, angustia loci, nutritionis, vestitus. Favent typhi genesi ingesta non eupepta, sed quantitate, et qualitate nociva, motus, et quies improportionati, excessu, vel defetu peccantes, animi pathemata deprimentia, retentio excernendorum. Typhum, memoratis ex causis oriri protopathice, per corruptionem aëris, dum numerosi in loco recluduntur angusto, homines, illustratur exemplo, quod sequitur. Anno 1756 Mense Junio, Calcuttae in Regno Bengalae, Anglus Hollwell, cum centum quadraginta sex sociis captus, arctoque carceri inclusus, intra duodecim unius noctis horas, mortuis centum viginti tribus, ipse cum residuis viginti tribus, singulis graviter febrientibus, aegre convaluit. Oritur typhus contagiosus et deuteropathice provocatur nempe in individuis sanis, absentibus etiam causis ejus genesi faventibus, per contagium, quod observatio frequentissima comprobavit. Plurimos injicit tumulo pestis haec indigena, si in pagis Regni nostri saevire incipiat, raro enim coloni pluribus, quam uno, et hoc sat arcto, depresso, duabus parvis fenestrelis, et his etiam sollicitate contra accessum aëris limo oblitatis, provisio cubiculo gaudent, in quo numerosi, sani aegris intermixti degunt, cujus poedorem auget dolium fermentantium caulium. — Pro contagio typhi susci-

piendo omnis videtur praedisposita esse aetas, omni-
que] sexus. Infantes tamen lactantes tantisper demptos
velim; nam stupentes videmus, hos, non latus solum
matris stipantes, communique lecto, et tegmine pro-
visos, sed ipsa typho aegrotantis matris ubera sugen-
tes; intactos persistere. Summa quoque aetas quid
simile sibi vindicare videtur; infecta namque saepe
tota domo, haec potissimum sarta degit. Accedit, aut
partem sibi aliquam vindicat aevitudo! Medici, Chi-
rurgi, aegrorum servitores, diu immunes persistunt.

§. 34. Incipienti sive in exercitu; sive in civi-
bus typho putrido, quanto ocyus limites ponendi sunt,
commodissime id fiet per nosocomiorum, in hunc
finem erectorum justam coordinationem. Ad haec
omnibus vetitus sit accessus, praeter eos, qui vi
muneris in eo degere tenentur loco. In defectu noso-
comiorum, ubi aegrotantes domi suae decumbunt,
curandum est, ne domestici, aut alii circa aegrum
versantes, Medici, et animarum Curatores, ipsi con-
tagium suscipiant, neve aliis communicent. Quapropter
instituendum est, ut aeger typho laborans decumbat
in cubili separato, omnesque, qui ei pro servitio
destinantur, a contactu caeterorum arceantur. Pro
contagio typhi destruendo adhibentur fumigationes
cubilium, et mundationes rerum. Fumigationes in-
stituuntur 1. Aceto communi, si illud in patina lata
exponatur ad fornacem calidam, aut patella aceto
plena lampadi succensae superponatur, aut eodem
aceto cubile perspergatur. 2. Acido nitrico, ea tamen
cum cautela, ut omnia metalla e cubili efferantur,
quae efferi non possunt, sebo, oleo, aut alia pin-
gvedine illiniantur. Fumigatio haec sequenti suscipi-
tur modo: funditur ad patellam super arena calida
positam acidi sulfurici uncia semis, quod bacillo
vitreo, aut terreo agitatur, sub agitatione continua
additur nitri puri pulverisati aequae uncia semis. Pa-
tella mixtum hoc continens ponitur ad mensam, et
pro lubitu tabula vitrea obtegatur, tunc nempe, si
jam fumus aegro molestus evaderet. Cessante evapo-
ratione, tota massa exagitatur bacillo vitreo, quo
facto rursus spargit vapores. 3. Acido muriatico oxy-

genato, quod hoc scopo sic adhibetur: Accipitur calcaria chlorica ad unciam unam, et distinctim eadem quantitas sulfatis lixivae aciduli, atque e singulo pulvere accipitur quantitas, quam cochlear coffea-ceum capit, imponitur patellae vitreae, aut porcellanae, aqua dein massae huic tepida affundatur usque consistentiam pultis mollioris, hanc pulvem terendo bacillo vitreo, evolvitur chlorina. Dum talis fumigatio suscipitur, portae, et fenestrae per unam alteramve horam clausae serventur.

§. 35. Medici, et Sacerdotes, qui vi sui muneris aegrorum e typho putrido decumbentium curam gerunt, a contagio immunes manebunt, si nunquam accedant aegros jejuno stomacho, si aceto quopiam aromatico, os, atque nares eluant, quin imo ex eodem aceto parvam deglutiant quantitatem, accedant aegros tantum postquam ventillatio, atque fumigatio cubilis suscepta fuisset. Vestimenta sua, quae levia tantum sint, quothidie vaporibus sulfuris exponant. — Nec tantum sui, sed et suorum concivium, ne malo typhi inquinentur, curam gerent, disvadebunt itaque illis omnem aegri, aut ejus rerum contactum, svadebunt fugam ipsius atmosphaerae infirmum circumdantis, munditiem summam, balneum tepidum, temperantiam in cibo, et potu, haustum moderatum spiritusuum, animum hilarem, intrepidum, denique evitationem cujusvis excessus, uti: laborem nimium, sanguinis, aut quorumcumque humorum evacuationes debilitantes. Parrot qua praeservativum svadet: mane jejuno stomacho bibitur poculum aquae, cui infusa fuit tanta quantitas aceti boni, quantum capit cochlear ordinarium, post duas circiter horas sumatur pro jentaculo caro assata frigida cum poculo boni vini. — Terminata cum aegro conversatione, in ipso adhuc aegroti cubili manus, et facies aceto vini, quin abstergantur, abluendae, abstersio domi tantum fiat, ubi simul vestes deponendae, aërique exponendae erunt. — Si quis, non obstantibus his cautelis, tamen se contagio typhi infectum sentiat, tunc is ante omnia manus, faciem, nares, aures, et os aqua frigida acco-

to mixta eluat, vestes mutet, corpus universum perfricet panno aspero, vel setaceo molli, mox illud abluat vino frigido, post haec adhibeat balneum tepidum, quo finito, universum aqua frigida perfundi curabit corpus,

§. 36. Postquam typhus contagiosus lethifera posuit arma, ejus regeneratio impedienda erit, itaque cubile, in quo aeger decubuit, ventillandum, parietes dealbandi, pavimento aqua primam fervida, tum frigida eluendum, utensilia, vestesque, quae mundari non possunt, flammis tradenda, aut terrae mandanda, Reconvalescentes, post morbum superatum longiori adhuc tempore a consortio sanorum arcendi erunt.

§. 37.

D y s e n t e r i a

(Vérhas. Die Ruhr.)

Pertinet ad morbos atroces, multasque strages generi humano parantes. In zonis temperatis, imprimis vero in insulis Indiae orientalis, et occidentalis endemice regnat; epidemice regnans ubique observatur. Nec dulcis Patria ab hac peste immunis, cujus plagas diversas saepe populariter devastat. Antiquitatem ejus jam vel id evincit, quod vestigia ejus apud vetustissimos medicinae Scriptores, ut Hippocratem, Galenum, Cael. Aurelianum; Avicennam, Persicum, caeterosque deprehendantur. Est autem dysenteria morbus, torminibus intestinorum, et tenesmo designatus, cum retenta naturali alvi excretioni, et profluvio humorum mucosorum, cruentorum, vel alio modo praeternaturalium summe molesto, ac dolorifico incedens, feбри stipatus, adulta plerumque aestate, vel autumno, epidemica aëris constitutione populariter; rarius sporadice emergens. — Itaque postquam praecessisset: alvus citata, inflatio abdominis, et tormina imprimis circa umbilicum observata, nausea, imo vomitus materiae

flavae, saporis amari, fatni, aut putridi, dolor capitis, in fronte sensus compressionis, langvor virium defatigatio artuum, appetitus prostratio, tandem comparent dejectiones alvi tam frequentes, ut aeger diu, noctuque quiete carcat. Quidquid alvo descendit humores complectitur morbosos, et quo gravior est morbus, eo magis a naturali indole recedunt, quae deponuntur. Caeterum alvus solet esse in hoc morbo vel mucosa, vel cruenta; parca quidem quantitas primo, saepe guttae tantummodo paucae liquidi abnormis secedunt. Excrementa primo deposita sunt coloris castanei, serius evadunt serosa, mucosa, puriformia, morbo increcente striis sanguineis distincta, imo morbo in exitum sinistrum vergente excrementa haec ita constituta sunt, ut illa pus, Saniem, materiam putridam, foetoris saepe intolerabilis, luridi, virescentis, aut flavescentis coloris exhibeant. Comparent autem hae alvi dejectiones inter dolores summos scindentes, et inter gravissima tormina. Tormina haec non aequaliter perstant, sed jam aucta, jam imminuta intensitate revertuntur; decubitu ad latus dextrum, pedibus ad abdomen adductis mitigantur, intensiora sunt noctu, et post assumptum cibum. Adest et tenesmus, seu irritum, summe molestum, ac dolorificum, frequensque alvum deponendi conamen, eo cum aegroti sensu ac si cuncta abdominis viscera exitum molirentur. Ad haec symptomata dysenteriae semper se sociam adjungit febris, intensitatis, characterisve, pro diversa constitutione individuali, atque epidemica, diversissimi.

§. 38. Morbus enumeratis symptomatibus stipatus, oritur imprimis, si refrigerium calente corpore admittatur, ideo frequens est versus finem aestatis, et in autumno, ubi dies calidas noctes excipiunt frigidae, item favet genesi dysenteriae atmosphaera exhalationibus paludum, aut cadaverum, vel per coacervationem hominum, corrupta. Ex hac causa videmus frequenter dysenteriam in exercitu, paricum armis hostilibus passu, stragem exerere dirissimam; non raro constitutio atmosphaerae epidemica, morbo huic favens observatur. Contagium, quod

sub decursu ejus generatur, volatile, propagationi dysenteriae multum favet. Sed et cibi, potulentaeque corrupta, putrida materia acri referta suam, ad genesim morbi conferunt symbolam.

§. 39. Ne dysenteria oriatur, causae ejus imprimis scrupulose vitandae sunt. Cum vero saepius rurículas adfligere soleat, inter quos pestis instar saepissime desaevit, ideo ii, qui maxima coram plebe pollent auctoritate eandem de morbi periculosi causis edoceant, adque eas vitandas hortentur. Serio itaque inculcabunt, ne sudante corpore refrigerium admittant, eapropter sub crepusculum, vestitu calidiori induti sint, ne utantur carnibus semicorruptis, aut aqua putrida, sed ut potius victu vegetabili, eoque acidiusculo contententur; pro potu adhibeant aquam, quae corruptioni plus resistit, si servetur in vasculo ligneo, cujus superficies interna in carbonem est usta, aut bibant aquam, aceto, paucò mele, ac cremato mixtam. Si morbus jam sit evolutus, cum communicari possit contagio, quod generat, admonendi erunt homines, ut contractum omnem dysentera laborantiis, rerumque ejus, quam diligentissime vitent.

§. 40. Quodsi dysenteria, quoquo modo evoluta, epidemice grassari incipiat, id illico loco competentì annunciandum, unde personae medicinales, scopo investigationis in causam, atque curam morbi suscipiendi, exmittentur. Neque patietur Praepositus Communitatis cujusdam adhiberi per pseudomedicos, aut quoquo demum sub nomine praxim ruralem exercentibus, remedia ulla, quae plerumque nocent, rarissime prosunt.

§. 41.

S c a r l a t i n a.

Scárlát. Das Scharlachfieber.)

Hanc jam antiquissimis temporibus regnasse, ex Thucydidis scriptis, Malfatti (in Hufeland's Journal B. 12. St. 3. Pag. 120) ostendere conatus est, curatorem tamen pervestigationem, et descriptionem

Modici, non nisi Sec XVII fecerunt. Ante hoc tempus Medici Scarlatinam cum angina confudisse videbantur ideo cum haec semper fere socia esse soleat scarlatinae. — Originem debet scarlatina contagio, quod ad contagia vernacula, vel si aliter placet adoptiva, omni autem in casu ad fervida, volatilia refertur. Utrum hocce contagium tantum homini proprium sit, vel etiam in aliis animalibus morbum producere possit, quod clariss. Heim praetendit, adhuc lis est. Ita nec hoc est evictum, quod scarlatina, semel tantum hominem corripit, sunt quippe exempla, quae contrarium ostendunt, experientia tamen teste similes reiterationes, mitioris indolis esse solent. — Symptomata, quae se sub decursu scarlatinae regularis persua stadia manifestant, haec sunt: 1. Stadium contagii, febrile. Saepe tribus, nonnunquam uno tantum die durat. Comparet febris cum siti, pandiculatione, horripilatione, frigore cum calore alternante, pulsu duro, celeri, irregulari, cum cuti sicca calida, siccitate oris, et faucium, deglutitione dolorifica, aut tantum molesta, saepe cavum faucium est inflammatum. Apud individua sensibilia adest dolor capitis insignis, saepe adsunt convulsionis, vomitus, aut epistaxis allevians. Exasperatio symptomatum vespere major, item eo major, quo proprius ad eruptionem ventum est. Stadium 2, eruptionis, exanthematicum. Hujus duratio diversa est. Saepe post comparitionem febris jam 2^a die comparet exanthema, consistens in maculis rubris latis, saepissime confluentibus. Ut plurimum exanthema comparet primo in facie, collo, pectore. Quo copiosius est exanthema: et quo laetius floret, eo tumidior est cutis. Color exanthematis ruber sub suo decursu fit profundior, ad pressionem disparet, aurae frigidae exposito aegro, fit pallidior. Durat hoc exanthema 1 aut 6 diebus, imprimis si majorem corporis occupet plagam, nam nonnunquam post aliquot jam evanescit horas, in casu scilicet eo, si ad partem tantum restrictum sit exiguam: nonnunquam una hora comparet, altera disparet, tuncque facillime ab inattento praetervidetur, ad hoc evitandum, dilige

genter corpus aegri inspicendum est, imprimis facies interna brachii, regioque circa mentum, in his namque locis rarissime deest exanthema. Periculo summo stipatur regressus scarlatinae, imprimis in partes nobiliores, uti in meninges cerebri; nec minus periculosa esse consuevit scarlatina, quae eodem fere, quo febris, comparet momento. Saepe exanthema scarlatinae non est planum, sed format in superficie vesiculas, bullas, aut miliaria, quae saepe complicationem cum scarlatina constituunt. Sub stadio eruptionis febris plerumque perdurat, raro penitus cessat. Postquam exanthema jam erupisset, et angina summum vehementiae consequitur gradum. Calor intensus, cutis sicca, pulsus celer, durus, lingua impura, nausea, vomituritio, alvus obstipta, symptomatum sub hoc stadio occurrentium numerum augent; tandem post diversam exanthematis durationem, comparet Stadium 3. desquamationis. Exanthema quippe semper fit pallidius, cutis corrugatur, epidermis elevatur, et sub forma squamarum, majorum, vel minorum decedit, interea et febris, et angina cessant. Non tamen semper cessante exanthemate sanitas integra redit; quinimo materia morbi in diversas se transplantat corporis partes, periculosasque facit metastases, quibus imprimis irregularis scarlatinae decursus occasionem praebet, qui talis redditur per varios errores tum in Therapia, tum in diaeta commissos.

§. 42. Cum febris scarlatina, non tantum infantibus, sed etiam adultis perniciosissima sit, cumque pro ea receptivitatem habeat individuum omnis sexus, atque temperamenti, hinc summa eo converti debet cura, ne ea propagetur, ideoque Medici, et Chirurghi scarlatinam grassari illico resciant, qui ipsi Separationem sanorum ab infirmis curabunt; munditiam maximam, renovationem aëris, et rerum mundationem, modo supra exposito suscipiendam jubebunt, verbo, in omnibus, tum quo ad se, tum quoad alios, a contagio immunes servandos, juxta ea se dirigent, quae sub tractatu de typho-pu-trido commendata sunt. — Remedia prophylactica medica,

sequentia imprimis ab auctoribus svadentur: 1. In act. reg. soc. med. Havnieus. Vol. II. pag. 42 Eichel svadet corpus in transspiratione moderata servare ope diaphoreticorum, asseritque, hoc modo id a contagio scarlatinae immune fore. 2. Withering, et Eichel (in Hufeland's Journal, vol. 13. St. 4. Pag. 79.) emeticorum usum commendant ei, qui se putat contagio scarlatinae inquinatum fuisse, quae non tantum eo prodesse asserunt, quod evacuent, materiam e ventriculo, contagio scarlatinae infectam, sed eo quoque, quod sub eorum usu perspiratio cutis au-geatur; itaque sub usu emeticorum corpus tepore lecti fovendum erit. 3. Murias Hydrargiri mitis, asserentibus multis observatoribus, ab infectione praeservavit; ita porrigendus ut aliquot per diem producat alvi evacuationes, imprimis in epidemia Wittenbergae saeviente, uti id adnotavit Kreisig. 4. Belladonna, dosi minima, saepius porrecta, a Hahnemann ut praeservativum securissimum laudatur.

T h e s e s .

1. Medicus practicus absque Theoria coccus.
 2. Ex medicina populari plus damni, quam emolumenti in genus humanum redundat.
 5. Hypochondria est morbus corporis, non animi.
 4. Oxygenium est verum in organismo vivo resolutionis principium.
 5. In producendis morbis epidemicis aer atmosphaericus principem tenet locum.
 6. Interest magna analogia inter omnia contagia.
 7. Venena narcotica vim suam in organismo delecteriam, exuberanti debent materiae phlogisticae.
 8. Diversa medendi methodus in eodem morbo, non tantum non probat artis incertitudinem, sed quandoque est necessaria.
 9. Medicinae perfectio religionis Ministris multum in acceptis referat.
 10. Cum certum sit morbos a climate, vitae genere, constitutione nationum, pati modificationem: justum est, ut qui praxi apud cives patrios incumbit, decusum morborum domi observet.
-